





~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.



SCENA VITÆ

OPT. MAX.

IMPERATORIS CÆSARIS  
AUGUSTI, AUSTRIACI

CAROLIV.

in Elisabetano Vratislaviensi

IV. KAL. XBREIS

Hor. pom.

*per Actores Declamatorios  
representanda  
indicitur*

à CHORAGO

CHRISTOPHORO COLERO

Historiarum Professore &  
Bibliothecario.

---

VRATISLAVIÆ, Typis GEORGI BAUMANNI.





L. S.

**E** T si Romanae Lyrae primus & solus, in Arte Poëtica, concinnâ a Musicis (apud quos Solæcismus Artis est sapius iisdem fidibus Auditorum auribus obstrepere,) translatione mihi ogganmat inquiring:

Horatius  
Art. v. 3. 55

Citharædus

Ridetur chorda qui semper oberrat eadem:

tamen si peccatum est, pulcherrima repetere, malo cum Socrate Sapientissimo mortalium hac in parte errare.

Consol. ad  
Helv. c. 6

Nam summum illud Sapientiæ Nomen & Numen Hippia (cujus mens ex Senecæ indigitamento & notâ Characteristicâ vaga & novitate rerum lætissima) novitio Philosopho ex longo annorum intervallo Athenas reverso unum eundemq; in congressibus amicos monendi morem & modum irridenti, falsè respondit: Ego de iisdem Argumentis & materijs Philosophandi eadem dissero & moneo; tu fortasse, quia ingenio & Sapientiæ profectu superemines, de iisdem non eadem profers: atq; rem ita ex vero constare quæstionibus & responsionibus è vita communi & civili desumptis fusè demonstrat; uti cum fructu melioris mentis & delectatione animi legere est apud suavissimam illam Attici mellificii Apiculam. Eâdem ratione, si mihi Curio aliquis aut Aculeo, & rigidus alienæ Curæ Aristarchus, aut novitatis avidus, obijciat, me Choraule in hoc ipso Declamatoriae Scenæ, ut ita dicam, Theatro, procedente,

Suid.



eunte, Anno hujus Seculi XXXIIX. XIX. Martij de  
Virtute & Fortunâ Optimi Maximi Imp. Austriaco-  
rum CAROLI V. ad tadium usq; Auditorum, per integrum  
diem Adolescentes plusculos disertasse, objectori respon-  
deo, si erratum est, juxta Proverbium *dis ηει τεις τὰ καλὰ*,  
aut, quâ gladiatoribus in Corporis exercitio imperabatur,  
& utiliter etiam in mentis contentione fieri potest, formu-  
lâ REPETE, me maluisse cum divino homine Socrate erra-  
re, quàm cum alijs benè sentire; uti de Platone suo ma-  
gnus Academicus Romanorum Tullius in simili causa olim  
censuit. Quemadmodum autem Socrates Moralem il-  
lam privatæ beatitudinis Sapientiam unâ eâdemq; viâ &  
ratione Discipulis suis instillavit, ac cupiit quantum ex Benef. l. 6.  
c. 16. Senecæ præcepto posset, universa transfundere; ita ego  
hactenus nonnullis meis Auditoribus civilis & pragmati-  
cæ doctrinæ, in spem Reipublicæ educandis, semper unâ &  
eadem viâ utilia vitæ politicæ Præcepta & Exempla, ex  
admirabili Lipsianæ Politices opere, proposui. Memi-  
ni enim salutare Sapientissimi Romanorum monitum Consol. ad  
Marc. c. 2  
Scio, inquit, à Præceptis incipere omnes qui monere  
aliquem volunt, & in Exempla desinere. Mutare  
hunc Ordinem interdum expedit. Aliter enim cum  
alio agendum est. Quosdam ratio ducit, quibusdam  
nomina clara opponenda sunt, & Auctoritas, quæ li-  
berum non relinquet animum ad speciosa stupen-  
tem. Deinde, quia juxta Eundem Sapientem, longum Epist. 6.  
per est per præcepta, breve & efficax per Exempla,  
Nec ipsa ex veteri & nova historia, ac ipsâ præsentî Eu-





ropæ Scenâ, varia rerum & personarum lecta, audita,  
& visa etiam, meis bonæ mentis Alumnis communicavi,  
Paneg. c. 45. & posthac etiam bonâ fide communicabo. Nam monente  
Plinio Trajani laudatissimi Principis laudatissimo Præ-  
cone, melius homines (præcipuè studiosi Adolescentes)  
Exemplis docentur, quæ in primis hoc in se boni ha-  
bent, quod approbant ea fieri posse, quæ præcipiun-  
tur. Præterea etiam si perfecti Polyhistoris officium  
sit, omnium seculorum, Gentium, & Nationum, Urbium,  
& Terrâ Mariq; locorum situs, Initia, incrementa, de-  
crementa, conversiones, ac interitus nosse: tamen quoniam  
supra humani ingenij captum & memoriæ fidem infinita  
istâ rerum varietas, perplexitas, & multitudo est, ac quo-  
rundam seculorum caligo, strenua inertia, aut spissa bar-  
baries, ingenijs aut non eductis, aut morbis temporum la-  
borantibus, multas res gestas, damnoso silentio, et perpetuis  
tenebris involvit, excusationem aliquam meretur Polyhi-  
stor, si in longe disitis, & exoticis hospes, modo in patrijs  
familiaris & Contubernalis sit. Non enim audiendi sunt  
illi nauseabundi, qui sibi somniant vile esse quicquid domi  
aut in patria nascitur: Sed, cum arbitratur Aristotelis  
6. Ethic. ad Nic. c. 7. proprium prudentis viri munus sit rectè consulere,  
Tacit. Agric. c. 19. nemo illud bona fide obibit nisi morum animo-  
Cic. 2. de orat. c. 82. rumq; patriæ suæ prudens exstiterit, & exactè sci-  
verit ad consilium de Republica dandum, caput esse  
republicam nosse: Quo neglecto, uti externus &  
advena Consiliarius, ita & scriptor aut lector Historia-  
rum peregrinarum, non raro hallucinabitur. Unde ipsi

Thuano



Thuano Augustissimo nostrorum temporum Scriptori  
Guilielmus Cambdenus nonnullibi ignorantiam aut pe-  
regrinitatem in Anglicis, & Goldastus ac Piccartus in  
Germanicis rebus, modestè obijciunt, quasi interdum tan-  
quam hospēs in alienā Republicā versetur. Quapropter  
tam in studij mei historici, quàm Professionis ejusdem rei,  
ante quadriennium mihi ab Amplissimo & Prudentissimo  
Reipublicæ hujus Senatu concessæ, curriculo, continuè eò  
summâ ope nixus sum, ut juvenis aliquando vitæ publicæ  
operatura in Notitia quattuor summorum Imperiorum non  
aspernabilem quidem, in Romano-Germanici verò ex-  
actiorem, tanquam magis necessariam & utiliorem, ratione  
status nostratis, peritiam imbiberet, ne aliquando igno-  
rantiâ Imperij & Germanicarum rerum domi peregrina-  
retur. Quanta enim Majestas & Amplitudo sit hujus  
Imperij, postquam id antea in factiones divisum, Virtute  
sua CAROLUS verè Magnus, primus Occidentis Imperator,  
cum Republica Germanorum unitum, in eam bellissimam et  
ultra octo integra secula perdurantem formam redegerit,  
patet ex Thuani gravissimo Testimonio; quod nullum ro-  
bustius corpus aut hodie sit, aut olim fuisse homines  
meminerint. Dignitas etiam Imperij hujus & præ-  
minentia ex eo constat, quod extinctâ Caroli Magni fami-  
liâ, à tempore Ottonis III. Autoris Septemviralis Colle-  
gij, libera constet Electio, ne quis exterus, & non Ger-  
manus in Imperatorem eligatur. Præterea Impera-  
toria Majestas,  
Cui par est nihil & nihil secundum,

Præf. Rer.  
Angl.  
In margi-  
ne Ed 2.  
Germ.  
Observ.  
Hist. Pol.  
Dec. 15.  
c. 1.

lib. 2. Hist.

Aur. Bull.  
Car. IV.

A 3

Quod





Quod Poëta de Româ Romani Imperij quondam sede glo-  
 riatur ; omnium Regum aliorum dignitatem supereminet  
 in eo, quod sola jus habeat creandi Reges, Duces & reli-  
 qua Nobilitatis nomina. Imperator enim, juxta Symma-  
 chum Vir Deo proximus est, qui per Orbem nihil non  
 venerationis meretur : juxta Athalaricum Gothicum  
 Regem, sine dubio, terrenus Deus, & quisquis adversus  
 eum manum moverit, ipse sui sanguinis reus existit :  
 Juxta Baldum ; Sumus Superior, Dominusq; Orientis,  
 Occidentis, Meridiei, & Septentrionis ; Cujus fortuna  
 & auspiciis cum ceteros Reges superemineat, in signum  
 præeminentiæ, triplici Diademate insignitur. Hoc vero  
 planè admirandum, & singulare divinæ Providentiæ O-  
 men est (præterquam juxta Livium Libertatis custodia  
 fit, si magna Imperia non sint diuturna, & temporis  
 modus imponatur, quibus juris imponi non possit,  
 & exemplum succurrat Q. Fabij Maximi, Patrem su-  
 um Avum Pro Avumq; Consulari honore perfunctos re-  
 putantis, qui pro filio ejusdem Dignitatis Candidato de-  
 precabatur, ut Fabiæ Genti vacationem hujus Maximi ho-  
 noris populus Romanus daret) quod celsissima hujus Impe-  
 ratoris Majestatis dignitas, in Augustali & terrarum  
 Imperio divinitus data & servata, Austriaca Gente,  
 per liberam Septemvirorum Electionem, per tot secula, bis  
 saltem sub initia interruptâ serie continuata est. Res  
 certa & inter admirandas est (malo Lipsij potius mei,  
 Austriacæ Familiæ devotissimi laudatoris, quam meis  
 verbis extollere) ex unâ Austria X. (nunc XIII. nimi-

rum

l. 10 Epi-  
stol. 27.

Anton.  
Quot. a.  
Conf. 1. n.  
11. Cull.  
catal. glo.  
part. 5.  
conf. 27.

l. 4. c. 24.

Val. Max.  
l. 4. Mem.  
c. 1.

Præfat.  
Admir.



rum Rudolphum I. Albertum I. Fridericum III. Ludovici Bavari Collegam, Albertum II. Fridericum IV. Maximilianum I. Carolum V. Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam, Ferdinandum II. Ferdinandum III.) intra hos trecentos (addo semissem propè quarti seculi) circiter annos Orbi Christiano affulsisse, atq; id sanguinis & natalium Serie, sine ullo fulcro adoptionis, quid in omni retrò Principum classe simile: Duo, tres in una domo, & vix fuerunt. In prima ipsa Julij nec ultra sextum etiam adoptio prorogavit. Iterum dico, mirabile. Et quid nisi à DEO tacita vox & testimonium, datam hanc familiam & demissam è cælo in terras esse ad Imperia Terrarum? *Quamobrem quod in Metellis Romæ vetus Poëta Nævius censuit:*

Fato Metelli Romæ fiunt Consules:

*id paulo mutatis verbis ita pronuncio:*

Fato tot Austrij creantur Cæsares.

*Ex quo miraculo liquet verissimum esse effatum, nuperi Austriacarum Virtutum descriptoris Nicolai Vernulæi Historiographi Regis Hispaniarum, & Lovaniensis Rhetoris, ita predicantis: Credant Mortales, non minus Gentem Austriacam Virtutibus inclitam esse, quàm potentiâ invictam. Qui etiam breve quidem, sed luculentum hoc Elogium hoc devotissimo voto claudit: Faveat divinum Numen, ut cum potentia crescat Virtutum Austriacarum claritas. Sed quanquam omnes à Rudolpho Habspurgico, primo Autore tantæ Ma-*

*gnitudinis*

Præfat.  
Aust. Vir-  
tut.

sub fin.  
Præfat.



gnitudinis Austriacæ successores in Imperio gloriosa Cæ-  
sarearum Virtutum specimina ediderint, tamen inter su-  
os Antecessores

(Fas mihi sanctorum veniã dixisse Parentum)  
Virtute & Fortunã

Hor. lib. 1.  
Od. 12.

— micat inter omnes  
CAROLI fidus, velut inter ignes  
Luna minores.

Car. Scrib.  
Polit. Chr.  
l. 2. ca. 1.

lib. 21.  
Hist.

l. 1. Monit.  
c. 5.

De Vna.  
Rel. pag.  
99.

Quicquid enim in magno requiri Principe potest, in CA-  
ROLO V. reperies, adeo, ut illi cognomentum Maximi  
Paulus III. Pontifex Romanus, ex *Judicio*, non favore,  
indiderit. Thuanus *Seculi nostri Livius*, nullum per-  
fecti magis, & ad omnem Virtutem expressi Prin-  
cipis exemplum, nostrã & retrò seculorum memo-  
ria, reperiri posse arbitratur, quod iis, qui ad Impe-  
rium Virtutis viã grassantur, ad imitandum proponi  
queat. Lipsius maxime *judicij Historici & Politici Vir*,  
de *Triumviris istis Terrarum Dominis & invicem amu-  
lis*, notabiliter & candidè, in nullius præjudicium, sic judi-  
cat, inquiens: nuper CAROLUS V. nobis (Hispanis &  
Germanis) Franciscus I. Gallis, Soleimannus Tur-  
cis, imperitabant: Quivis eorum dignus Orbis ter-  
ræ Imperio. Et habuissent aut promovissent, nisi  
concurfus ille fuisset, & alius alium interpellasset.  
Idem Magnus ex *Iscono arvito prædio oriundus Vir*, illum  
eundem nunquam satis laudatam, nuncupavit Maximum  
Principum à multis retrò annis. His addo Bernegge-  
rum *Polyhistorum nostri Seculi cum paucis comparan-  
dum*,



dum, quadrigæ Gravissimorum Censuram constituenda.  
Is CAROLUM nostrum Semonem & Virum supra Vi-  
ros appellavit; vel ideò, quòd, uti sapientem decet, omnia  
prius experiri consilio, quam armis, tanquam prudens ali-  
quis Cunctator Fabius, statuisset.

Tubá Pa-  
cis pag.  
141.

Hujus incomparabilis Principis admirandas res ge-  
stas tota Historicorum & Politicorum Natio certatim  
& æternis Annalium, Panegyricarum laudationum, & serio-  
rum Carminum monumentis, Avorum, Patrum nostro-  
rum, & nostrâ memoriâ, ingenia dicendis tantis rebus de-  
còra celebrarunt, celebrant, celebrabuntq; dum Virtuti  
& Fortunæ Principum decus apud seram posteritatem  
constabit. Notabile est quòd Zenocarus de hoc Principe  
annotavit; eum nempe ad Exemplum Divorum suorum  
Maximiliani I. Cæsaris, Paterni, & Ferdinandi Catho-  
lici, Materni, Avorum, Laconismi & Attici leporis cal-  
lentissimum, ac planè Apophthegmaticum Principem fuis-  
se: eaq; de causâ affirmat se quoddam Carolinorum Apoph-  
thegmatum corpus congerere cepisse, sed, cum animadver-  
tisset, omnia Principis sui verba, Urbanitatem, facetias,  
ad loco-seria, incorrupto tamen Imperatoria Majestatis  
honore, fuisse, consilium mutasse & Collectanea sua Vul-  
cano consecrasse. Unde quasi ex communi naufragio ta-  
bularum, passim non pauca eorum, in publicis Historijs  
postliminiò revertentia, Duumviri isti Clarissimi, Da-  
vid Chytræus, superiore seculo Theologus & Historicus  
eximius, ac Julius Guilielmus Zinckgresius J. C. college-  
runt, & bono publico communicarunt.

Orat. de  
Car. V.  
Apophth.  
Germ.  
Principp.

Sed



Flor. Præ.  
fat.

*Sed, ut ad instituti mei rem digitum intendam, licet ipsa rei magnitudo sibi obstat, aciemq; intentionis abrumpat; tamen more Pictorum in brevi quasi tabella totam Cæsaris hujus imaginem Adolescentes IV. occasione Historica lectionis meæ & variæ marginalis à me sibi communicatæ observationis, pro virilibus Adolescentiæ suæ partibus, representabunt. Vos itaq; Patres Patriæ, verbi divini Præcones, Juris Sacerdotes, Curatores valetudinis humanæ, Professores Disciplinarum, Juventutis formatores, Candidati Summarum scientiarum & artium, cum debita honoris præfatione, oro obsecroq; ut ad præstitutum diem in Gymnasio nostro comparëatis, & exercitiis his Oratorijs, auribus linguis & animis faveatis; atq; hac ipsa benevolentia significatione, magneticâ quadam & occulta Virtute, Juventutem Gymnasticam ad Vestræ Eruditionis & Virtutum imitamenta, cum tempore fidem rei factura, atrahatis.*

Zenocary  
in Vit. Car  
V.

*Gratum verò & jucundum auditu & visu nobis erit, si vos, Senatores Magnifici, non tantum faventissimi, Cæsaris Optimi ex commendatione FERDINANDI fratris Principis & privilegium augmento erga hanc Remp. indulgentissimi Principis Apophthegma, nimirum bene constitutas Scholas & exactissima horologia, duo certissima esse signa florentis Reipublicæ, pro vestrà Prudentia & summo judicio audiatis, sed etiam quantum momentum & fundamentum Reipublicæ sit, recta juventutis Educatio (uti frontispecium Illustre Mariæ*

*Magdalena*




Magdalena Sororis nostra amabilissima omnium pretereuntium oculis & animis sese intuendum offert) arbitremini. Universi vero & singuli aut ipsi docti, aut doctorum admiratores & Fautores ac promotores firmiter credatis velim, ipsum hoc Scientia, Sapientia, & Prudentia Seminarium, quod directrice Praeceptorum manu laboriosè haectenus satum est & nunc seritur, & porro Deo duce feretur, vires magis cum tempore capiet, & Horatij, uti auspiciati hoc publicum Alloquium, ita etiam obsignantis, olim rem & operam ipsam spondentibus verbis

Crescet occulto velut Arbor ævo.

I. I. O. 12.

P. P. V. Kal. Xbreis A. C. clj Icc LXI.



Series



Series Personarum talis esto.

CAROLI V. Imp. Scenam Vitae exhibebunt	1. Prologi	{ Latinus, Johannes VVagenKnechtus Germanicus, Daniel Francus	} Vratislaviâ Silesij.			
	2. Actores	Primarij, Declamationibus	Profis	{ Latinâ, Samuel Pomarius VVintzigio. Germanicâ, Johan. Hanckius Leobschützio, Latinâ, Johannes Schefflerus Vratislav. Germanicâ, Joachimus Nergerus Gryphoro.	} Silesij	
			Vorfis			
		Secundarij	1. XXX. Apophthegmatum Ordine æqualiter distributorum recitatores	1. Elias Thomas Lintzio Austriacus.		} Præter unum Vratislaviâ-Silesij.
				2. Joachimus Jeschkius.		
	3. Andreas Scholtzius.					
	2. Similium Illustrium recitatores	4. Fridericus Rothius Jägendorfio.				
		5. Godofredus Müllerus.				
	3. Epilogi	Latinus, Godofredus Hagenmüllerus Germanicus, Sigismundus Köpferus	6. Christianus Bornerus.	} Vratisl. Silesij.		
			7. Godofredus Neumannus.			
8. Johannes Albertus.						
		9. Christianus Schefflerus.				
		10. Zacharias Rampuschius.				
		Latinus, Carolus Attelmaierus				
		Germanicus, Lucas Frölichius				





Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287



Sb,

VD17  
Sep. 2000 Pd.











40

T Æ

CÆSARIS

TRIACI

LIV.

tislaviensi

EIS

atorios

COLERO

ore &

GI BAUMANNI.

